


## † R. P. Adolphus Żółtowski (1870-1934)

*(Prov. Polon.)*

Natus est die 19 Augusti a. 1870, in loco Jarogniewice prope Kościan in Polonia, ex patre Theodoro, haerede latifundiorum Nekla, et matre Francisca, nata Niemojowska. Educatus est et fundamentalibus litteris



instructus in domo paterna usque ad quartum decimum annum vitae suae. Teste fratre eius maiore indole fuit eo tempore leni et amabili, ita ut omnibus placeret, tam parentibus et paedagogis, quam ceteris. Die 26 Iulii a. 1883 una cum sorore sua minore Anna ad sacram communionem primo admissus est in ecclesia parochiali in Nekla. Mense Octobri eiusdem anni ad studia continuanda Posnaniam profectus est. Cum ingenii esset admodum perspicacis, studia humaniora absque difficultate, immo cum laude absolvit examenque « maturitatis » fecit cum splendenti successu a. 1888.

Annis sequentibus partim in Universitatibus Lipsiae et Halle in Saxonia operam dedit studiis agriculturam spectantibus, partim in variis latifundiis in praxim deducebat scientiam suam theoreticam. Attamen sensim vocari se ad altiora intellegere coepit. Mense Octobri a. 1890 exercitia spiritualia una cum 30 aliis invenibus in palatio loci Dobrojewo sub directione P. Bernhaldi Łubieński C. SS. R. instituit illisque diebus videtur fecisse firmum propositum se Deo consecrandi in statu sacerdotali.

Per breve adhuc tempus studia agriculturae, parentibus obtemperans, continuabat. Tandem a. 1893, tempore ultimae infirmitatis matris suae, Adolphus licentiam obtinuit a parentibus statum sacerdotalem amplectendi. Quod et illico opere perfecit, cum Posnaniae eodem anno Seminarium clericorum ingrederetur. Sacris initiatus est die 11 Octobris a. 1896 ab Archipraesule Posnaniensi Floriano Stablewski, ac die 14 eiusdem mensis primam Missam celebravit in ecclesia parochiali nativi loci sui Nekla.

Ab eodem Archiepiscopo iussus est eodem anno Romam petere, ut per decursum anni unius altioribus studiis theologicis vacaret in « Academia

Nobilium ». Reversus inde per decursum unius anni munere fungebatur vicarii ad ecclesiam S. Mariae Magdalenae Posnaniae.

Cum demum a. 1898 mortua esset Neklae unica Adolphi soror, ita ut pater eius, mortua iam pridem uxore, orbatus omnino esset, annuit Archiepiscopus Posnaniensis, ut Adolphus parochiam administrandam susciperet in ipso loco Nekla, ubi pater et filius suis sumptibus suaque opera novam ecclesiam sequentibus tribus annis extruxerunt. Quo opere completo Adolphus parochiam Nekla denuo cessit sacerdoti, qui eam prius rexerat, ipse autem a. 1901 nomen dedit Congregationi SS. Redemptoris.

Studiis vacans Romae occasionem nactus erat perquirendae doctrinae S. Alfonsi, cuius opera inde secum asportavit in Poloniam. Absoluto novitiatu sex mensium in loco Mościska sub tutela R. P. Magistri Bohosiewicz vota perpetua emisit die 2 Februarii a. 1902.

Anno 1903 proprius studentatus Polonicus fundatus est eique P. Żółtowski datus est praefectus, primo quidem in domo nostra Mościska, dein a. 1906 in nova domo studentatus Maksymówka. Domum hanc per maximam partem extruxit P. Żółtowski suis sumptibus, cum esset e familia opulenta. Munus praefecti clericorum P. Żółtowski cum magno iuventutis profectu gessit (excepto triennio 1906-1909) usque ad annum 1918, id est tempore turbulentissimo belli universalis. Binis trienniis, ab a. 1906 usque ad a. 1911, munere Rectoris in Maksymówka simul fungebatur.

Primo anno belli 1914 una cum studentibus coactus est fugam capere in loca tutiora invadentibus Russis Poloniam, et ita cum illis pedem fixit in Mautern pro spatio duorum annorum.

Anno 1918 iterum praeficitur domui studentatus in Maksymówka, donec anno sequenti iussus est in Kościan, dioeceseos Posnaniensis, novam instituere foundationem.

Pro Capitulo generali anni 1921 electus Vocalis Provinciae Polonicae, non dubia signa dedit tam scientiae theologicae, quam zeli magni observantiae religiosae.

Anno sequenti, dimisso munere Superioris domus Kościan, per biennium munere Lectoris theologiae moralis Tuchoviae fungebatur, donec anno 1924 Rector novae domus iuvenatus Polonici in Stawki ad Toruń nominaretur.

Denique anno 1927 Magister novitiatus Polonici factus est idque munus usque ad finem vitae suae laudabiliter gessit.

Aetate quidem satis progressus, sufficienti tamen valetudine uti videbatur, ita ut mors eius plane inopinata venerit Provinciae nostrae. Corruptus est febre typhoidali die Christo Regi sacra, 28 Octobris a. 1934.

Defunctus P. Adolphus Żółtowski certe de numero est eorum Congregatorum, quibus magna merita reservata sunt apud Deum, et quidem du-

plici titulo. Primo, quia multa reliquit, cum Deo se manciparet in vita religiosa, et secundo, quia minimam tantum mercedem in hac terra obtinuit.

Multa certe reliquit, qui dives cum esset, paupertatem Congregationis SS. Redemptoris omnibus vitae commodis praeposuit. — Multa reliquit, qui eo fine vitam religiosam videtur assumpsisse, ut sibi viam praeccluderet ad ecclesiasticas dignitates iam ab initio sacerdotii illi arridentes propter condicionem eius socialem. — Multa reliquit, cum praesertim Provinciam Polonicam C. SS. R. ingrederetur, quae sub diverso respectu debilis et imperfecta erat illis annis et ad plurima sacrificia suppeditabat occasiones. — Multa reliquit, solitam dimittens curam animarum in saeculo ut missionibus vacaret, quae in Polonia, praesertim ante annos triginta, labore gravissimo plenae erant et plurimorum sacrificiorum ansam dabant.

Maioris tamen momenti est, quod secundo loco diximus, P. Adolphum Żółtowski fere numquam in hac vita dulces fructus laborum suorum gustasse. Missionibus stricte dictis non longo tempore vacare potuit, tum quia ad alia munera gerenda a Superioribus vocabatur, tum praesertim quia non tam robusta erat valetudine, ut insolitis missionum laboribus sufficeret. Ceterum dici non potest P. Żółtowski insignem missionarium fuisse, cum speciales missionarii popularis praerogativae illum deficerent. Ita factum est, ut labores apostolici, aliis tam multa animi solacia suppeditantes, Patri Żółtowski raro tantum plenam animi satisfactionem darent.

Interdum P. Adolphus exercitia spiritualia instituebat tam pro sacerdotibus et theologis, quam pro monialibus... Sed et haec species laborum apostolicorum maiora solacia ei non afferebat. Ipse ultimis vitae annis conquestus est se non facile expectationibus animarum in exercitiis satisfacere posse. Et re vera exercitiorum director « natus », ut dicunt, numquam fuit, etsi doctrinam spiritualem optime cognovit et zelo maximo in salutem et sanctificationem animarum ferebatur.

Maximam vitae suae partem P. Żółtowski in aeducationem iuventutis religiosae Congregationis nostrae impendit, primo in officio Praefecti et ultimis vitae annis in magisterio novitiatus. Quae quidem munera, praesertim autem munus Magistri novitiatus, satis correspondere videbantur eius indoli ac viribus, necnon et intimis cordis eius desideriis. Tam clerici studentes quam novitii prudentem et sapientem, praeprimis autem spiritu Dei et doctrina S. P. N. Alfonsi imbutum directorem et patrem nacti sunt. Per magnam partem studio et laboribus P. Żółtowski tribuendum est, quod vita vere interna et spiritus orationis in Provincia Polonica Congregationis nostrae non evanescere, immo in multis Congregationis membris speciali florere modo.

Tam ex dictis diversis Patris Żółtowski quam ex litteris scriptis ad consodales facile colligi potest defunctum hunc Praefectum et Magistrum

peculiarem vocationem suam existimasse, ut vitam vere internam custodiret et propagaret, non in studentatu solum et novitiatu, sed in universa Provincia Polonica C. SS. R. Ea vocatione sua adeo occupatus erat, ut versus finem vitae suae a laboribus quibuscumque apostolicis sibi abstinendum censeret, non sane ex negligentia, sed ut munus educandae iuventutis religiosae eo melius et praefectius impleret.

R. I. P.